

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johannes Vorst Heinrich Hudemann

## **De Quibusdam Veterum Auctorum Assertionibus Breves Disquisitiones**

Rostochi[i]: Richelius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730149641>

Druck Freier  Zugang



R U p m e N 52.  
Johann Vorstius  
Herr. Hudekam



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn730149641/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730149641/phys_0002)

DFG

23  
64

DE  
**QVIBUSDAM**  
**VETERUM AU-**  
**CTORUM ASSERTIO-**  
**NIBUS BREVES DISQVI-**  
**SITIONES,**  
*QVÆ*  
**IN ILL. ACAD. ROSTOCHIENSI**  
**PLACIDÆ VENTILATIONI**  
*subſiciuntur*  
**A PRÆSIDE**  
**M. JOHANNE VORSTIO,**  
**ET RESPONDENTE**  
**HENRICO HUDEMANNO,**  
**CREMPA HOLSATO.**  
*AD D. VII. SEPTEMBRIS.*

ss : ss

ROSTOCHI

*Typis Johannis Richelii, Senat. Typographi,  
Anno 1712. I. LII.*



VENERANDO PARENTI SUO,

DN. M. JOHANNI  
HUDEMANNO,  
ECCLESIAE CREMPENSIS  
PASTORI, CONSISTORIORUM  
ITEM MUNSTERDORFIENSIS ET  
SEGEBERGENSIS PRÆPO-  
SITO,

DISQVISITIONES ISTAS ACA-  
DEMICAS FILIALI OBSERVAN-  
TIÆ TESTANDÆ  
NUNCUPAT

HENRICUS HUDEMANNUS,  
FILIUS.

# ΣΥΝ ΘΕΩ.

## ASSERTIO PRIMA.

**E**T si Poeni fraudum nomine valde infames olim fuerint, saepe tamen Latini auctores fraudis illos insimulant, ubi ipsi fraudem non commiserunt. Exempli causâ quod Florus in lib. II. cap. VI. scribit, apud Trasimenum lacum quoque novam artem Punicæ fraudis fuisse. Negamus fraudem tum commisisse Poenos, cum nebulâ lacus, palustribusq; virgulis teclis eques, terga subitò pugnatum (Romanorū) invaserit. Erat id stratagema, non fraus. Stratagemata autem in bello tantum abest ut culpanda sint, ut potius commendanda videatur. Per ea quippe in compedium mittuntur ipsa bella: fitq; ita, ut plurimis cædibus haud sit opus. Si verò stratagemata ista dolos quis appellare velit, nos non repugnabimus. Notum enim est, id vocabulum μέρον esse: & esse tum malos, cum quoque bonos dolos. Cæterum nec illud nobis placet, quod Florus scripsit, militem Poenum palustribus virgultis teclum fuisse apud Trasimenum lacum. Ita nimis ad Trebiam fluviū factum fuerat jam antea, uti ex libro XXI. Livii constare potest, ubi quippe hæc sunt verba: Erat in medio ritus per altis undiq; clausus ripis, & circa obscus palustribus herbis, & quibus inculta ferme vestiuntur, virgulis verpribusq;. Quem ubi equiti quoque regendo satis latebrosum locum circumveclus ipse oculus perlustravit, hic erit locus, Magoni fratri ait, quem teneas. Apparet igitur, in narratione Flori μέρον αμάρτυρα esse...

## ASSERTIO ALTERA.

Quod qvidam in palatio Constantii Cæsaris, cum Julianus  
A 2

lianus feliciter rem gessisset in Germaniâ, felicibus auspiciis ipsius Constantii assignarunt, qvicqvid per omnem terræ ambitum agebatur, id satis reæstet factum fuit. Neq; Ammiani Marcellini probanda sententia est, factum illud improbantis ac reprehendentis in calce libri xvi, his qvidē verbis: *Inter exaggerationem inaniū laudum, ostentationemq; aperit lucentium, inflabant ex usu Imperatorem suopte ingenio nimium, qvicqvid per omnem terræ ambitum agebatur, felicibus ejus auspiciis assignantes.* Fecit sic Ammianus pro solenni suo. Cum nimirum respuere ac contemnere certum esset religionem Christianum, & Arianam qvoq; cui Constantius addic̄tor erat, qvæq; qvibus finibus à Christianâ genuinâ disterminata sit, ipse ignorabat: fugillavit porrò subinde & alia, qvæ vel ad Christianos veros pertinebant, vel ad eos qui consimili qvidem nomine dici volebant, non tamen propter falsa qvædam dogmata eo satis digni erant. Cæterum quod Ammiano præ ~~apergit~~ reprehendendi minus rectum visum fuit, felicibus nimirum Cæsarî aut Regis auspiciis, qvicqvid per omnem terræ ambitum agebatur, assignari, de eo alii, itidem gentiles, longè aliter judicarūt. Habent sanè Republicæ, itemq; Principes auspicium suum, suum fatum, suam fortunam: eiq; non parum est tribuendum. Florus agnoscit fatum aliquod imperaturæ urbis in libro II cap vi. De Clas siciano prodidit Tacitus in lib. XIV, eum Svetonii adversa, pravitati ipsius; prospera ad fortunam Reip. retralisse. Idem Tacitus in lib. XIII, refert, qvosdam sic disservisse, pleriq; in summâ fortunâ auspiciis & consiliis, qvam telis & manibus geri. Nec aliter judicavit Mamertinus, eum in Panegyrico ad Maximianum sic pronunciavit: *Vestræ fortunæ, vestræ felicitatis es, Imperator, quod jam milites vestri ad Oceanum pervenere victoriâ.* De Ducibus verò Maximiani in eo-

in eodem panegyrico sic differuit: Horum duela proxime, cum felicissimis vestris auspiciis uerentur, lubrica illa fallaxq; gens barbarorum, ut merebatur, affecta est. De fortunâ Alexandri Magni non semel scribit Q.Curtius. Horatius item in Ode xiv.lib.iv. censem, Drusum viciisse barbaros, Augusto copias, consilium, suosq; divos, hoc est, fortunam, præbente. Plurima alia id genus legere licet in aliorum qvoq; profanorū auctorum monumentis. Neq; igitur erat, cur Ammianus id culpareret, qvòd Imperatoris Constantii aulici, qvicq; per omnem terræ ambitum agebatur, ipsius Constantii felibus auspiciis assignarunt. Qvod autem Ammianus in prædicto loco id qvoq; reprehendit, qvòd ipse Constantius de fortunâ suâ non satis commodè differuit, se solum, cum gestis non adfuisse, & dimicasse & viciisse, & supplices Reges gentium erexisse: Et, si, verbi gratiâ, eo agente tunc in Italia, Dux quidam egisset fortiter contra Persas, nullâ ejus mentione per textum longissimum factâ laureatas literas ad provinciarum signa misit, se inter primores versatum significans; qvòd, inquam, id factum Ammianus reprehendit, id nec nobis omnino displiceret. Qyamvis enim Constantius fortunæ suæ id tribuere posset, qvod ipsius Duces fortiter pugnaverant: non debuisset tamen istiusmodi verbis uti, qvæ & insolentiam ejus manifestè significarunt, ipsiq; invidiam concitare poterant apud suos. Potuisset sanè paulò aliter de fortunâ suâ loqui, si qvidem ita libuisset, sic ut id vitio ipsi verti non posset.

### ASSERTIO TERTIA.

Qvòd Tullius in tertio de Officiis scribit, nullam nobis cum tyrannis societatem esse, sed poriùs summam distinctionem; neq; esse contra naturam spoliare eum, quem honestum sit necare, id non sim-

pliciter concedi potest, nec de omnibus, qvi tyranni dicuntur, est verum. Philosophus in quarto Politicorum cap. x. tria nobis demonstravit tyrannorum genera. Quorum unum ait fuisse apud Barbaros: quippe qui elegerint sibi *άντερες μονάρχες*, hoc est, tales quibus unis & solis liceret omnia pro libitu agere, vel, ut ipse Philosophus ait, *έπινες αρχαὶ πάντων καὶ τὸν εἰσαγόνην βαλησσόν*. Alterum genus ait fuisse apud quosdam Græciæ populos, qui & ipsi sibi *μονάρχες* elegerint, quos *Ἄσυμντας* appellarint; eodem fere modo, quo Barbari. Tertium genus quod & præcipue Aristoteli visum est tyrannis dici, idem sic describit: *ἥτις ἀνένθυντο ἀρχαῖ, τὴν ὁμοίων, γῆ βελτίων πάντων τὰς τάξεις τὸ σφέτερον αὐτὸν συμφέρειν, quia sic imperat, ut non patiatur se in ordinē redigi, & dominatur æqualibus & melioribus ad suam ipsius utilitatem.* Cum istorum igitur generum duobus prioribus, non sic ut Tullius volebat, nulla nobis societas est, sed summa distractio. Qvoniam electi sunt *άντερες μονάρχες* & *μονάρχαι*, debet utiq; eorum tam iniquum, quam æquum imperium ferri, quamdiu rebus humanis intersunt. De tertii autem generis tyrannis paulò aliter sentire licet, hos nimirum licere è medio tollere. Sed probè considerandum, quales illi sint. Dominantur illi per vim *τῆς ὁμοίως æqualibus*. Illi priores autem eliguntur *αὐτοκράτορες* & *μονάρχαι*; atq; ita cæteri non amplius illis similes sive æquales sunt, sed iisdem multò inferiores. Tertii generis tyranni dominantur æqualibus, hoc est, talibus quibus ipsi debebant se pares gerere, nec in eos dominium sibi arrogare. Talis tyrannus initio erat Julius Cæsar: itemq; Augustus. Non competebat his initio, in cives suos dominari, totiq; populo præscribere: sed potius ad nutum Senatus Populiq; Rom. ipsi se componere debuissent.

Atq;

Atq; hos tales, cum ipsorum dominatus adhuc in herbâ est, opprimere integrum est. Sed cautè tamen ac circumspectè agendum fuerit. Primò oportet autoritatem accedere ejus, cui summum imperium debetur, sive rex sit, sive optimates, sive populus. Deinde oportet nullam pactionem aut fidem intercessisse. Qvod si semel facta fuerit pactio, hæc servanda utiq; est : nec licet deinde amplius opprimere, ut licuerat antea. Vide de his egregia, quæ Hugo Grotius habet lib. I. de jure belli & pacis cap. IV.

### ASSERTIO QUARTA.

Non eadem omnibus honesta atq; turpia esse, sed omnia majorum infelicitatis judicari, qvod Corn. Nepos in frontispicio sui libri scribit, id nobis fatis verum esse non videtur. Reetus habet Tullius in secundo de Finibus: Honestum id intelligimus, qvod tale es, ut de reâlâ omni utilitate sine ullis præmiis fructibusq; per se ipsum possit jure laudari. Qvod quale sit, non iam definitione, quâ usus sum, intelligi potes, qvanquam aliquantum potest, quâm communi omnium judicio, & optimi cuiusq; studiis atq; faciliis: qui permulta ob eam unam causam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honestum es. Tullius quidem id præcipue videtur velle, id honestum esse, qvod omnes homines agnoscunt faciendum esse : turpe contrà, qvod omnes agnoscunt esse omittendum. Dicit enim, qvid honestum sit communi omnium judicio, & optimi cuiusq; studiis atq; faciliis omnium optimè intelligi posse. Sed hoc Tullii quoq; dubium esse possit, an nimis id demum sit honestum, qvod omnes homines agnoscunt faciendum esse : turpe contrà, qvod omnes intelligunt, esse omittendum. Sunt enim honesta quædam, atq; item turpia, quæ non omnes videntur agnovisse. Exem-

se. Exempli gratiâ: quôd non liceat sororem germanam  
in matrimonio habere, vix agnoverunt Athenienses, gens  
cultissima. Illorum enim legibus id licitum erat, ut ipse  
Corn. Nepos in p̄fatione, & in vitâ Cimonis testatur.  
Apud Romanos verò aliasq; gentes id nefas habitum fuit.  
Alii gentes adhuc minus videntur agnovisse. Athenien-  
sib⁹ germanas sorores licebat in matrimonio habere, hoc  
est, iusmarit̄is, eodem patre (non & eadem matre) natus: ut  
ipse Cornelius vocem germana explicat in Cimonis vita.  
Apud alias verò gentes, etiam tales in matrimonio habitæ  
fuerunt, quæ eodem patre, eademq; matre fuerunt natæ.  
Quid si igitur nos dicamus, honestum & turpe quandoq;  
tale esse, quod omnes gentes agnoscant: aliæ tale, quod  
agnoscant pleræq; & cultiores quidem? Sed & dici pos-  
sit, sæpe videri quippiā à plerisq; modò agnoscí, quod ta-  
mē revera agnoscatur ab omnib⁹. Quid causæ excogitare  
potuerunt Athenienses, cur eas sorores, quæ eodem patre,  
eademq; matre nati essent, in matrimonio habere turpe es-  
set: germanas verò, hoc est, quæ eodem patre modò, non  
& eadē matre nati essent, uxores ducere liceret? Quòd ve-  
rò hoc posterius etiam legibus permisum fuit, nec ob il-  
lud apud Athenienses in quenquam animadversum: id  
nondum satis liquidò arguit, Athenienses non agno-  
visse, id non debere fieri. Nimirum & alia quædam an-  
tiquis legibus permissa fuerunt, quæ minùs recta esse, satis  
fuit intellectum. Quòd verò Cornelius Nepos scribit,  
majorum institutis judicari omnia, id sine dubio falsum  
est. Sed de verborum vi ac significatione paulò accura-  
tiùs dispiciendum est. Facit Cornelius oppositionem hoc  
modo: Non eadem omnibus honesta atq; turpia esse, sed omnia majo-  
rum institutis judicari. Non tamen Logica hæc oppositio est.

Sic

Sic enim Auctor sibi contradiceret ipsi: quod ipsum facere voluisse, aut in tam propinquis verbis fecisse, non est verosimile. Nos ex primo commate hunc capimus intellectum: Nulla actio est, quæ omnibus simul gentibus honestam aut turpis, sive quam omnes omnino gentes honestam, aut turpem judicent. Ex altero verò commate hunc capimus: Omnes actiones quæ honestæ aut turpes judicantur, eo tantum tales judicantur, quod cuiusq; gentis majores ita habuerint, & habendum quasi præcepissent. Si verò gentis alicujus majores aliter judicassent, & aliter item habendum præcepissent, quamcunq; rem, quæ turpis vulgo habetur, posse honestam videri. Atq; ita his posterioribus id quoq; involutū est, atq; subintelligitur, potuisse quoq; eiuscunq; gentis majores aliter omnino judicare. Sed cum postremum hoc, tum quoq; priora, ut jam dixi, oppido sunt falsa.

### ASSERTIO QUINTA.

Parum concinnè Ulpianus in libro primo Institutiorum jus naturale definiverat, quod tale sit, quod natura omnia animalia docuerit. Hoc verò sic amplius explicuerat: Nam jus istud non humani generis proprium, sed omnium animalium, quæ in terrâ, quæ in mari nascentur, avium quoq; commune est. Hinc descendit maris atq; fœminæ conjunctio, hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Videmus etenim, cætera quoq; animalia, feras etiam, iſtius juris peritiā censeri. Planè apparet, Ulpianum hoc velle, esse jus quoddam, quod omnia animalia, etiam bruta, docta sint, sive cuius bruta quoq; sint perita. Hoc verò omnium Veterum placitis planè adversum est: & per se quoq; absurdum. Sanè per vocem jus non aliud ibi intelligi potest, quam oratio, à Deo aut Magistratu profecta, (sive hæc sit mentalis, sive vocalis, sive scripta) quæ obligat, ut secundum eam actiones instituantur aut omissantur; sive secundum quam homines insti-

B

euere

iuere debent actiones quādam, aut omittere. Neq; hæc ipsi Ulpiano displicere possint, quippe qui *jus* vocat positionem. Dicit enim, studii juris duas esse positiones, *jus publicum & jus privatum*. Nunc cogitemus, an natura omnia animalia docuerit istiusmodi *jus* quoddam, quale à nobis descriptum est: vel quod idem est, an Deus omnibus animalibus hanc vim indiderit, ut agnoscere & cogitare possint, hoc vel illo modo oportere agi, Deum ita velle, se ad ita agendum obligata esse. Sed & exemplum capiamus: & unum quidem eorumquæ ipse Ulpianus usurpavit, de liberorum educatione. Agnoscent homines, si liberos procreaverint, hos ad certos quosdam annos alendos esse. Et quod agnoscent faciendum esse, id pleriq; omnes etiam faciunt. Atq; hoc *jus* quoddam est, hoc est, oratio ab ipso Deo profecta, quā homines obligantur, & secundum quam actiones suas instituere debent. Exoritur sive existit istiusmodi oratio sive cogitatio in omnium hominum mentibus. An verò & in brutis hujusmodi res existit? Videmus sanè & bruta alere pullos suos: id quod hominum actioni planè simile est. Non tamen ita agunt bruta, quod *jus* quoddam in se habeant, hoc est, orationem internam sive cogitationem istiusmodi, Quod procreatū est, id alere oportet: ad id faciendum fūmus obligata: sic nos agere, Deus vult. Agunt bruta quod Deus vult agi. Non tamen agnoscere aut cogitare possunt, Creatorem suum ita velle. Si agnoscerent & cogitarent, ista cogitatio *jus & lex* foret. Quoniam autem ita non cogitant, facile intelligitur, neq; *jus* ea habere, nec *jus* quoddam ea docta esse à naturā, quod Ictus volebat. Homines cum id quod procrearunt, alunt, secundum *jus* sive legem agunt. Bruta cum similiter agunt, sit illud non alio modo, quam quo araneæ telas nectunt, & formi-

formicæ acervos congerunt & state, quibus hieme deinde  
vivunt. Cæterum etiam ICtus ad definitionem juris na-  
turalis duo quædam pro exemplis commemoravit, quæ  
ne quidem apud homines juris naturalis, aut in universam  
juris nomine appellanda videntur; nimirum maris & feminæ  
conjunctio, liberorum procreatio. Jus naturale, ut dixi, est  
oratio quædam à Deo aut à Magistratu profecta, se-  
cundum quam actiones vel institui vel omitti oportet;  
sive quæ ad aliquid agendum vel omittendum nos obligat.  
An igitur tale jus exstat scriptum, vel in libris, vel in men-  
te nostrâ, Cuivis mari cum feminâ cohabitandum esse, & liberi pro-  
creandi? Verè absurdus sit, & inframitus, qui tale quid ex-  
stare putet vel in mente suâ, vel in libris. Damnaverit hic ca-  
lis Paulos, Antonios, Hilariones, Hieronymos. Tametsi  
autem definitionem juris naturalis, quam ICtus posuit,  
planè repudiemus: non ipsam tamen appellationem juris  
naturalis perinde rejicimus. Sed dicimus hoc idem esse  
cum jure gentium: & quod ius gentium appellant, id quoq; ius  
naturale licere appellari. Jus gentium definiunt, quod  
tale sit, quo genitæ humanae (subandi sole; non & gentes bru-  
torum, avium) utantur. Sed hoc quoq; non satis concin-  
num est, quod gentes humanae dicuntur, ut sic distingvantur  
ab aliis gentibus. Non enim gentes alias quam humanæ  
dantur. Porrò qui sic definiunt jus gentium, tantum illud  
agunt, ut à jure naturali id discernant. Quomodo autem  
à jure civili sit separandum, id ex eâ definitione intelligi  
non potest. Rectius definietur jus gentium, qvōd tale  
sit, quo omnes gentes utantur: vel ut Philosophus eleganter  
loquitur, ὃ πάντας τὴν αὐτὴν δύναμιν ἔχει, ὡσπερ τὸ πῦρ καὶ ἐνθά-  
δε τὸ φέρειν τοῖς οἰκείοις. Franco Burgersdicius, quamvis defi-  
nitionem juris naturalis, quam Ulpianus dedit, & ipse re-  
jiciat,

jiciat, *jus naturale* tamen & *jus gentium* adhuc distingvenda  
putat, & in cap. *xxi.* libelli *Ethici* sic scribit: *Itaq; statuendum*  
*est;*, tam *jus naturale*, quam *gentium* solis hominibus convenire;  
sed hoc interesse, quod *jus gentium* in iis rebus sit positum, quae ad solos  
homines spectant: *jus naturale* in iis qua etiam in bruta cadunt, & ameli  
in brutis non habent rationem iuris. Facile appetet, quid iste au  
tor sibi velit. Existimat nimirum, illud *jus* quod de tali  
bus actionibus est, quas & in brutis observamus, meritò  
distingvendum esse ab eo jure quod de his actionibus est,  
quas soli homines præstant, atq; adeò *jus naturale* esse ap  
pellandum. Sed ejus distinctionis levis sanè ratio est: neq;  
igitur nobis placet. Mirum verò est, in *Institutiones* *juris*  
quoq; ex *Ulpiano* relatam esse distinctionem *juris naturalis* & *juris gentium*. Observamus enim, ipsos *Institutio*  
*nrum* *Auctores* utrāq; *appellatione* ut *ius* *natūrālē* uti. Ut  
in lib. *II.* *Instit.* tit. *I.* *Venditæ res* & *traditæ* non aliter emperiori ac  
quiruntur, quam si *is venditori* *precium* *solverit*, vel alio modo ei *satis*  
*fecerit*. Quod quanquam *caveatur* ex *lege XII.* *Tabb.*, tamen *rectè* dici  
tur, & *jure gentium*, id est, *jure naturali* id effici. Vides hic pla  
nissimè, *jus gentium* per *jus naturale*, ut per *notius*, & idem  
planè significans, explicari.



## COROLLARIA.

I. **B**Ellum gerere nec *jure naturali*, nec *sacris litteris* est inter  
dictum.

II. *Israëlitæ*, quamvis à *Cananæis* *laceſſii* non fuerint, *jure* ta  
men eorum *sedes* *occuparunt*: neq; eo peccarunt in *septimum* *præceptum*.

III. *Jurans* *debet* *ex animo* *jurare*; & *sicubi* *juravit* *debet etiam*  
*præstare*; si modò *ipsum* *illud* *juramentum* *licitum* *fuerit*.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn730149641/phys\\_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730149641/phys_0015)

DFG




Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn730149641/phys\\_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730149641/phys_0016)

DFG

formicæ acervos congerunt æ stat vivunt. Cæterum etiam ICtus ac turalis duo quædam pro exempli ne quidem apud homines juris natu rius nomine appellanda videntur; conjunctio, liberorum procreatio. Ju oratio quædam à Deo aut à M cundum quam actiones vel institu sive quæ ad aliquid agendum vel or An igitur tale jus exstat scriptum, te nostrâ, Cuivis mari cum feminâ coha creandi? Verè absurdus sit, & infru stare putet vel in mête suâ, vel in lit lis Paulos, Antonios, Hilariones, autem definitionem juris natural planè repudiemus: non ipsam tam naturalis perinde rejicimus. Sed cum jure gentium: & quod *jus gen* *jus naturale licere appellari.* Jus ga tale sit, quo gentes humanae (subanditorum, avium) utantur. Sed hoc q num est, quo gentes humanae dicunt ab aliis gentibus. Non enim gen dantur. Porrò qui sic definiunt ju agunt, ut à jure naturali id discerni à jure civili sit separandum, id ex non potest. Rectius definitur sit, quo omnes gentes utantur: vel ut loquitur, ὃ μαρτυρῶ τὴν αὐτὴν δύναμιν δέ τις εἰπεῖται οὐδείς. Franco Burge nitionem juris naturalis, quam U)



eme deinde  
m juris na  
ravit, que  
universum  
is & feminæ  
ut dixi, est  
profecta, se  
i oportet:  
os obligat,  
vel in men  
& liberi pro  
le quid ex  
erit hic ta  
s. Tametsi  
tus posuit,  
one m juris  
c idem esse  
it, id quoq;  
iunt, quod  
gentes bru  
tis concin  
tingvantur  
n humanae  
ntum illud  
odo autem  
ne intelligi  
, quod tale  
s eleganter  
m̄g x̄ ειθά  
amvis defi  
, & ipse re  
jiciat,

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No.   
Patch Reference numbers on UTT